



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXII. De fortitudine, eiusque mirabilibus effectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

*De fortitudine, eiusque mirabilibus effectis.**Fortitudo
alia genera
lis alia spe
cialis.**Vide D.
Thom. 2.
2. 7. 123.
& seqq.*

Virtus fortitudinis in genere nihil aliud est, quam quædam animofitas, quæ omnes difficultates superat, & vero bono aduersantia depellit. In specie autem, & prout nobis à Doctoribus depingitur, est quædam cordis firmitas, qua animus roboratur, ne vilo mortis etiam præsentis, & eminentis periculo à virtute, aut honestate declinet, neque in aduersis vlla tristitia absorbeat.

Huius virtutis nullæ sunt species, cum solum circa mortis pericula versetur; habet tamen aliquot virtutes affectivas, quæ eam ad exercendas suas actiones plurimum iuuant, & ab Augustino quatuor enumerantur, Magnificencia, Fidentia, Patientia, & Perseuerantia; ipsam autem fortitudinem ita definit, fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.

*Aug. l. 83.
quest. 9. 31.*

Ex quo colligas duas potissimum esse fortitudinis functiones, suscipere videlicet, & perferre. Vt autem animus aliquid aggredi audeat, primò necessaria est generosa quædam propritudo pericula subeundi, & hæc ad Magnanimitatem, seu fidenciam spectat: Secùdò requiritur animosa quædam executio, & hanc operatur Magnificencia: Vt verò quispiam aduersa perferat necesse est animum contra difficultates, & molestias muniri, ne victus concidat, quod efficit Patiència; & quia hæc mala subinde tam diu continentur, vt etiam patientem defatigent, necessaria est Perseuerantia, quæ est quasi perseuerans quædam patientia.

Constat itaq; Fortitudinem ab his virtutibus tanquam quibusdam suis partibus integralibus circa proprium suum obiectum, mortis scilicet pericula, aliasque minores difficultates, perfici. Vnde operepretium non erit laboriosè laudem Fortitudinis, & sociarum virtutum amplificare, ac multis verbis depredicare, cum vnusquisque satis apertè videat, quæ bona ac

M**commo-**

*Effectus
Fortitudinis.*

commoda secum ferat : Fortitudo enim homines Heroas , & semideos reddit, constantes, magnanimos, perseverantes, & patientes, quibus suis difficultatibus non obstantibus, facilius quod magis est, reliquas omnes virtutes stabilis, ac firmat, ut constantes actiones suas producere continent.

*Opposita
vitiis.*

Humanus autem Timor, & pusillanimitas facile à Iustitia & temperantia nos alienarent; & absque molestia Prudentiæ dictamen contemnere facerent, nisi fortitudo hunc timorem excelleret, & usque in finem operis patienter perseverare suaderet. Dico humanum timorem, quia si fortitudo omnem omnino timorem tolleret, hominem ad periculosissima vitia deduceret; qui enim quando ratio timidum suadet, non timet; aut se non intermisso labore absque honesta causa periculis exponit, audaculus & temerarius dicendus est : Fortis autem & constans ubi timendum fuerit, timet; cum verò expedire videbitur omnem timorem deponit : Atque ita ex una parte Temeritatem, & ex altera vanum Timorem cauet, obfirmatus contra omnes

omnes difficultates, & altissima quæque non solum audere, sed etiam effecta dare paratus.

His tanquam viuis, & maximè naturis coloribus hætenus fortitudinem depinximus; restat videndum quibus hæc virtus conveniat. Non dubito hic quin gentilium Heroes concursui sint cum Christianis, uti honoris competitores, & iactaturi se aduersa constanter pertulisse, imò vitam suam magna animi generositate mortis periculo exposuisse: Fateor factum, sed dico eos in omnibus his tam remotè à vera fortitudine abfuisse, quam Christiani semper vicini fuerunt, & sunt: Tolerarunt quidem Ethnici & subinde euaserunt multa pericula, sed cur, & quomodo? nunquid non vanam gloriam intenderunt? nunquid non sibi violentas manus intulerunt? Cupiditas mundana, inquit Prosper, facit, ut aliqui nullis aduersitatibus quātūvis asperis superentur, sed in hoc nõ debet laudari eorū patiētia, sed diuitiē eorū admiramur: quasi dicat, Non est hoc veram patientiā exer-

*Differen-
tia inter
fortitud.
Christian.
& Genil.*

Prosper.

• M 2 cere,

cere, sed cor suum inhumanum, durū,
ac asperum demonstrare. Et si forte
daremus eorum aliquos talem qualē
Fortitudinem habuisse, nunquam ea-
men ostendere poterant, eam in se,
aut effectis suis eandem cum Christi-
anorum fortitudine esse; paganorum
enim fortitudo humana est, Christia-
norum diuina; illa acquisita, hæc infu-
sa; illi semper aliquid deest, hæc nul-
lum defectum patitur; nam vt Scriptu-
ra docet, Dei perfecta sunt opera; Si
ergo Deus virtutem dat, absque defe-
ctu eam donat. In effectibus quoque
quanta sit diuersitas aduertite: Prima-
rius fortitudinis actus est ob honestū
aliquem finem mortem oppetere;
Quis autem magis varia mortis gene-
ra, crudelia omnia, & honestiorē ob
finem, quam superiorum seculorum
Christiani, subiit? Nā vt supra tetigi-
mus, aliqui lapidibus obruti sunt, alij
supra craticulam affati, viui excoriati
alij, alij gladio cœsi, alij alio supplicij
genere vitam finierunt; omnes autem
pro iustitia ac Christianæ fidei defen-
sione hæc tanta pertulere. Si verò de
nostri zui Christianis loquamur, quis
dicen-

dicendo se consecuturum speret, crudelium tormentorum varietatē, quæ ijs perferenda sunt, vbi in manus infidelium & maximè hæreticorum inciderint? Sane tormenta a deo crudelia perpetiuntur, vt iure meritissimo dici possint vera fortitudo, quæ Ecclesiæ Christi filijs propria est, muniri & roborari. Nec obstat, quod superius hūc *Præcep.* effectum fidei, Spei, & Charitati tribuerimus; nam eundem effectum à pluribus virtutibus proficisci absurdum non est. Fides nos tormenta in testimonium doctrinæ Christianæ perferre hortatur: Spes eadem consideratione promissæ coronæ toleranda suadet; Charitas ob diuinum mandatum, & amorem Deo debitum idē quasi imperat; solius autem fortitudinis est hunc actum elicere & exercere, omniumque difficultatum impetū sustinere.

Hæretici & Scismatici sibi quoque martyres eudunt, cū tales non magis, quam ethnici aut idololatræ habeāt; Non ego hoc primus promulgo, sed ante me Augustinus, & alij Doctores in scripturis, & recta ratione benè

Nulli hæretici aut scismatici martyres.

August. l. 1. de Serm.

M 3

funda-

Dem. in fundati, idem docuerunt; nominati
 mont. 8. 4. autem Augustinus, dum ait, Nam mul-
 ti heretici nomine Christiano animas
 decipientes, multa talia patiuntur, sed
 ideo excluduntur ab illa mercede, quia
 non dictum est tantum, Beati qui per perse-
 cutionem patiuntur; sed additum est, pro-
 pter iustitiam: Vbi autem sana fides non
 est, non potest esse iustitia; quia iustus ex
 fide viuit. Neque Scismatici aliquid sibi
 ex ista promissione promittant, quia simili-
 liter ubi charitas non est, non potest esse
 iustitia, Dilectio enim proximi malum
 non operatur quam si haberent non dilan-
 niarent corpus Christi, quod est Ecclesia.
 Ut ergo libuerit martyres suos iac-
 tent, nunquam tamen tales esse pote-
 runt, cum extra pacem & vnionem
 Ecclesie obierint, vt benè docet S.
 Patianus: & Bernardus dicit, In veris
 Ber. Ser. Christianis Pietatem mortis contemptum
 66. in cāt. & constantiam gignere, in hereticis au-
 tem idē cordis duritia ac pertinacia pra-
 stari: Imò Donatum hereticum ita Au-
 gust. alloquitur foris ab ecclesia consti-
 tutus, & separatus à compagi unitatis,
 & vinculo charitatis, aeterno supplicio
 puniretis, etiam si pro Christi nomine vi-

Aug. ep.
 204.

uis incendereris. Hoc est enim quod dicit Apostolus, *Etsi tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13.

Felices ergo Christiani quibus solis à Deo fortitudinis donum conferatur, ut labores constanter perferant, & charitas, ut meritorie patiantur. Feliciores autem qui hanc tam charitatem, quam fortitudinem fideliter custodiunt; caro enim infirma est, & diabolus invidus, ideoque ut metum nobis iniiciat illa dicit, *Leo in via est, & leana in itineribus.* Hic autem tanquam pessimus terræ sanctæ, & promissæ explorator, difficultatem augens dicit, *Nequaquam ad populum hunc valemus ascendere, quia fortior nobis est.* Nos autem è contra cum bonis exploratoribus Iosue & Caleb nobis persuadere debemus, plus præstare nos posse, quam putemus, & pro rebus temporalibus grauiora pertulisse, quam pro bono spiritus ferenda restent, ita enim se animabat Dauid cum à Spiritu S. ad debellandum Goliathum incitaretur; dicebat ei Saul, *Non vales resistere Philistheo isti, quia puer es: hic autem* 1. Reg. 17.

Conclusio.

Prou. 26.

Num. 13.

1. Reg. 17.

vir bellator est ab adolescentia sua. At
 David Et leonem & Ursam interfeci e-
 go servus tuus erit ergo Philistaeus hic in-
 circumcissus quasi unus ex eis: Monstrat
 tamen idem non tam suis viribus, quā
 diuino auxilio fidendum esse; Ideo
 que arenam pugnaturus ingressus di-
 xit, Tu venis ad me cum hasta. gladio &
 clypeo ego autem venio ad te in nomine
 Domini exercituum. Casta autem vi-
 duā & generosa Iudith non solum in
 Deum confidere, sed etiam tempore
 periculorum eundem inuocare docu-
 it; nam iam iam Holiferni caput am-
 putatura orabat; dicens, Confirma me
 Domine Deus Israel, & respice in hac ho-
 ra ad opera manuum mearum. Denique
 exemplum Christi habemus, qui cum
 dirissimæ ac amarissimæ suæ passionis
 hora venisset, tertio se prosternens o-
 ravit, quem imitati sancti Dei marty-
 res, & confessores in fide constantes
 perseverarunt, & victores evaserunt:
 Hos imitemur, eandem fortitudinem,
 quam illi exercuerunt exerceamus;
 dicamus carni, quod nondum vsque
 ad sanguinem restiterit; demonstre-
 mus ei, quod non sunt condigna passio-
 nes hu-

Judith. 13.

Luc. 22.

nes huius temporis, etiam ipsius vitæ Roman.
 profusio ad futuram gloriam, quæ reue-
 labitur in nobis. Diabolo conanti Ma-
 nanimitatem nostram deiicere, res-
 pondeamus, Deum in promissis præ-
 standis fidelem esse, eumq; per quendam
 suum Apostolum promississe, quod
 Deus non patietur nos tentari ultra
 id quod possumus; *sed faciet etiam cum* 1. Cor. 10.
temptatione prouentum, ut possitis sustine-
re, inquit Paulus. Denique crucifixi
 imaginem manu teneamus, in hoc
 speculo quid Christus pro nobis per-
 tulerit videamus, & sine dubio nihil
 erit, quod ob eius amorem patienter,
 & constanter non perferamus.

CAPVT VIGESIMVM
 TERTIVM.

De Temperantia Christiana, & fructi-
bus quos producit.

Quarta virtus cardinalis est Tem- *Vide D.*
 perantia, quæ duplex est; Genera- *Thom. 2.*
 lis, & specialis: Generalis reprimit af- *2. q. 141.*
 fectiones ab omni eo, quod nos aliquò *& seqq.*
 contra rectam rationem pellicit.

• M 5 Specia-